



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Commentaria Ac Disputationes In Primam Partem Divi Thomae

Cvm Variis Indicibus

De Deo Effectore, Creaturarvm Omnium Tractatus II. De Opere Sex
Diervm, Ac Tertivs De Anima

Suárez, Francisco

Mogvntiæ, 1622

VI. An mutatio sit omnibus viuentibus necessaria.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-93575](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-93575)

Virum nutritio sit omnibus viuientibus necessaria ad vitae conseruationem.

Diximus de obiecto vegetatiuae potentiae, dicendum sequitur de actionibus illius, quae duae sunt, nutritio, & generatio: nam augmentatio, quae annumerari solet, tantum ratione distinguitur à nutritione, ut alibi dictum est, aliae vero actiones, ut tractio, expulsio, &c. omnes deseruiunt illis duabus, neque de illis dicendum aliquid superest. Videtur igitur pars quaestionis negativa vera: primo, quia nutritio potissime est data viuientibus, à natura ut per illam acquirant perfectam quantitatem: ergo illa acquisita, cessat eius necessitas: ergo non est simpliciter, ac semper necessaria. Secundo, quia dantur multa viuientia, quae nutritione carent, ut semen. Tertio, quia per nutritionem potius mors causatur: ergo non est necessaria ad conseruationem vitae. Quarto. Vita essentialis consistit in vnione animae ad corpus, haec autem vnio conseruari potest cessante nutritione: ergo, &c. Patet minor, quia nulla forma separatur à materia propter cessationem ab operatione, sed actione potius agentis contrarij: ergo neque anima.

De actione nutritiua quid sit, & quomodo fiat, alijsque ad illam pertinentibus dictum est in libris de generatione, solum hic superest dicendum de necessitate illius, & de modo, quo ex ipsius defectu causetur corruptio: sunt autem in hac actione duo. Primum alteratio prauius disponens materiam. Secundum conuersio cibi in substantiam aliti. Aiunt ergo nonnulli viuens conseruari non posse, nisi perpetuo aliquid conuertat in substantiam suam. Ita Nyphusi, de generatione, capite 5. dub. 5. Alij volunt nutritionem quantum ad alterationem prauiam esse semper necessariam, non quantum ad substantialem conuersionem alimenti, & ita exponunt Aristotelem pronuntiantem viuens tandiu viuere, quandiu nutritur.

Dico primo. Viuens statim à principio vitae incipit disponere alimentum, non tamen id conuertit, nisi transacto, aliquantulo tempore. Probatur quia alimentum non potest conuerti in substantiam aliti nisi disponatur, debet autem disponi in tempore, quia in instanti ob contrarietatem, seu resistantiam dissimilis alimenti: ergo praecedat tempus aliquod ante substantialem conuersionem, ergo eo saltem tempore existit viuens absque actuali nutritione substantiali.

Dico secundo. Postquam viuens cepit substantialiter nutriri, non necessario eam actionem continuat, sed potest aliquanto tempore viuere illa cessante. Probatur primo, quia in principio generationis potuit viuens (ut ostensum est) conseruari aliquantulum absque illa actione: ergo & poterit in discursu vitae, quia non magis requiretur actio in progressu, quam in principio. Secundo patet experientia: nam licet homo cesset à cibando dies aliquot, non continuo moritur, quamuis debilitetur aliquanto, tunc autem cessat à conuersione alimenti, cum nullum habeat, imo propriam substantiam consumat. Ergo, &c. Praeterea contingit aliquando debilitari, adeo vim nutriendi, aut cibum tam esse disconuenientem, ut non possit conuerti in substantiam aliti: cessabit ergo tunc propria nutritio. Atque hanc conclusionem intendit Philosophus 5. Physicor. text. 23. dum ait, continenter moueri, quod minimum intermittere. Quia videlicet nihil obstat nutritionem, v. g. parumper cessare, quominus dicatur viuens semper nutriri dum vita durat: consentiuntque ibidem D. Thomas, & Themist.

Dico vero tertio. Cessatio à conuersione alimenti diuturna esse non potest absque corruptione viuientis. Ita ostendit experientia, sed ut ratione ostendatur, est aduertendum, quatuor assignari causas mortis. Prima est continua actio calidissimi humidum. Secunda reactio cibi, & excrementorum. Tertia actio medij contrarij circumstantis. Quarta continuus labor proueniens ex actionibus corporis, & intensus calor, qui aliquando inde excitatur. Ita Auenenna Fen. 1. primi cap. de temperamentis. Atenim tertia causa communis etiam est rebus inanimatis. Quarta vero neque est cunctis viuientibus communis, neque intrinseca illis: duae vero reliquae intrinsecae sunt, & propriae, quas Aristoteles tradidit lib. de morte, & vita, & de longitudine, & breuitate vitae, quamuis Galeno non placeant lib. de Marcore. cap. 3. ubi ait esse impossibile, quod calor, qui viuentia generat, conseruat, & auget, eadem corrumpat. Si enim alia quantumuis dissimilia viuenti assimilat quomodo destruet ipsum viuens? Respondebitur fortasse exemplo ignis consumens materiam ignis, quamuis aliquo tempore ipsum conseruet: hoc tamen exemplum ostendit potius difficultatem: nam si ignis cum suo calore libi relinquere, ac contrarius aer non adefset, non corrumpere, planè etiam si materia deflisset: idem ergo erit de calore viuentis, atque adeo per se loquendo posset viuens conseruari diu citra nutritionem.

Est ergo aduertendum secundo, radicem istius necessariae corruptionis viuientium esse compositionem heterogeneam eorum, habent liquidam partes diuersarum dispositionum, ita postulant varietate operationum vitalium, unde in quibusdam praedominatur frigiditas, in alijs vero calor, quo fit, ut continua pugna detur inter ipsa membra: atque adeo licet abesse extrinsecum corruptionis, ipsum viuens ex se deiceret, quia non seruatur, nisi partes eius sint debite dispositae, ipsa vero inter se pugna à debita dispositione deiciuntur. Tertio est notandum, quod vita animalis specialiter dicitur consistere in calido, & humido, quia omnia membra viuentis calore conseruantur, & semper viuens habet partem aliquam determinatam, in qua calor viget, nam quia haec viuentia continuam habent actionem, & reactionem intrinsecam, data est illis à natura specialis virtus alendi se, & restaurandi id, quod deperditur illa actione: haec autem virtus praecipue exercetur calore, ut infra dicemus: quia vero calor est consumptiuus humiditatis valde necessariae ad conseruationem viuientium: ideo actio hac viuentis specialiter dicitur esse calidi in humidum. Unde notandum vltimo, quod cum calor hic viuentium semper agat, nisi applicetur extrinseca materia, id est, alimentum, actionem conuertet in ipsa viuentis membra, consumetque eorum humidum. Hinc enim experimur aut uallam radicis arborem breui arescere: intrinseco scilicet calore absumente humidum attenuanteque, ac resoluente illius substantiam, atque ita tandem vel ex defectu materiae, vel humoris viuens corrumpi: haec ergo est ratio, quare viuentia deficiant ex defectu cibi, conuenienterque nutritionis. Dices: ergo si nunquam deficiat alimentum, nutritio, ac viuens, perpetuo durabit. Sed negatur illatio: impossibile enim est nutritionem perpetuo durare: nam primo de generatione docuimus substantiam restauratam semper esse minus perfectam, minorisque virtutis, quia semper debilitatur calor naturalis, qui quoniam virtus finita est, tandem extinguitur, ut Aristoteles tradit locis citatis impossibile ergo est, non deficiente etiam alimento vitam perpetuari, propagari tamen nimum potest ratione optimi, moderatiusque alimenti.

Ex

SVARE Z
de Angelis, op
re 6. d. 1. rum, et
anima.

TEOM TCM
TH

D. V. 2.

Proparte
negatiua ar
guitur.
primo.

Secundo.

Tertio.

Quarto.

Querunda
sententia in
praesenti ca
pit.

3
Prima as
sertio pro
batur.

4
2. Assertio
probatur 1.
ratione.

Secundo ex
perientia.

Accedit A
ristotel.

Ex quo etiam colligitur, multipliciter contingere mortem naturalem: ex defectu humiditatis, ut quando arefcit lignum: ex defectu nutrimenti, ut si quis fame periret: ex defectu caloris adeo debilitati, ut nihil iam possit conuertere alimentum, tunc enim exstinguitur ab excrementis, aut frigiditate aliorum membrorum, saepe tandem mors accidit caloris ipsius exuperantia, saepe namque praeter naturam, accenditur cibo, vel immodica exercitatione, innumerisque alijs agentibus, quae nos perpetuo transmutant, ut ait Plato in dialogo de natura.

Colligitur etiam ex dictis, cur viuientia habeant certas vitae periodos, & cur alia breuiores, alia longiores tempore uiuant. Nam quoniam deficiunt ob intrinsecam actionem calidi in humidum: ea quae melius temperamentum habent harum qualitatatum, ex se longiorem vitam habent, ac quae multum caloris, & humiditatis habeat, diu possunt viuere, etsi nonnunquam contingat ex causis alijs, ut quae deterius habent temperamentum longius uiuant, propter commoditatem videlicet ciborum, vel habitationis, quae de Aristotele l. de longitudine, & breuitate vitae. Ex his ergo patet satis probatio conclusionis, neque vero est inconueniens: quod calor conseruans viuens corrumpat illud, ut superius Galen. arguebat: conseruat enim per se, corrumpit vero per accidens, quia vel ab extrinseco nimium exuberat, vel nimium diminuitur, vel certe quia deest ipsa eius materia, seu nutrimentum, quo fit, ut acrimonia suam conuertat in ipsum viuens, quapropter simile non est, quod de igne adducitur, qui ex contrarijs partibus, sicut viuens minime constat.

Et hinc ad primum ex initio positum respondetur actionem nutrimentalem non esse tantum necessariam ob augmentationem, sed simpliciter propter viuents conseruationem, quauis etiam augmentationi deseruiat. Ad secundum de semine diximus in secundo Physicorum, dicemusque plura cap. 12. ubi soluetur apertius argumentum. Ad tertium patet ex dictis solutio. Ad quartum responderetur, viuens non pendere a nutritione, tanquam a causa per se, vel tanquam ab operatione tantum, sed tanquam a via restaurandi deperditum, restoratione autem cessante tantisper, non illico perire viuens, quamuis incipiat in corruptionem tendere.

CAPVT VII.

Virum generatio sit propria actio viuientis.

Videtur pars negatiua vera, quia talis actio neque conuenit solis viuentibus, cum ignis sibi simile producat, neque etiam omnibus, cum multa sint viuientia, quae vim non habent generandi: ergo non est actio viuientium propria. Confirmatur. Nam viuientia spiritalia sibi similia non generant: ergo neque materialia. Quae minus perfecta sunt, ex gradu viuendi potentiam generandi vendicant, sed fortasse aliunde. Et hinc etiam apparet falsum, quod ait Aristoteles generationem esse naturalissimum opus viuientium: nam magis naturalis est, quod omnibus inseparabiliter conuenit, quae est nutritio.

Dico primo. Licet generatio substantialis significet cuiusvis substantiae productionem, attamen peculiari quadam ratione est propria actio viuientium. Ad probationem notandum est viuientia in generando sui similia, speciale quidpiam habere, ex quo haec actio illis specialiter tribuatur, generant enim vitali quodam modo per decisionem propriae particulae, id est, seminis, nam sicut nutritio a propria, atque impropria abstrahens communem

Francisc. Suarez de Anima.

nis est viuentibus, ac non viuentibus, ut tamen dicit actum vitae propria est vegetabilium, ita generare absolute commune est non viuentibus, fierique potest per meram actionem transeuntem cum sola mutatione extrinsecae patientis, quod tamen vitali actioni repugnat: at generatio propria fit, ut dixi, per decisionem alicuius particulae ex propria substantia generantis, in qua residet modo aliquo virtus illius.

Vnde viuientium generatio (ut rem pro praesenti loco breuiter attingamus) definitur a S. Tho. 1. p. q. 27. a. 2. & de anim. lect. 7. tex. 35. Emanatio, seu origo alicuius viuentis a principio viuente coniuncto in similitudinem naturae specificae. Quae definitio sic fere declarat. 4. cont. c. 11. Quo res est perfectior, eo illius productio ei est magis intrinseca, & quo imperfectior, est magis extrinseca. Vnde in Deo qui perfectissimus est, productio ad intra cum ipso identificatur, siue actiue, siue passiuie ipsam consideremus, atque Filius qui perfectissimo generationis modo a Patre producitur, in illo manet, & eiusdem substantiae est cum illo, (distinctus tamen in persona quod absq. tali distinctione non potuerit esse vera generatio) at inanimata circa res mere extrinsecas agunt, viuientia vero in generando aliquid distinctum a se producunt in persona, & naturae scilicet numericae, in quo quidem a perfectione deuant diuina, non producunt tamen illud ex aliena, & omnino extrinseca substantia, sed ex propria, videlicet sanguine, aut humore aliquo simili, ut in plantis, ex quo virtute propria semen elaborant, cui vim imprimunt ad generationem perficiendam, propter quod dicitur emanatio haec esse a principio vitae coniuncto, tum etiam quia fit ex parte aliqua viuentis, quae illi fuerat coniuncta: debet autem talis generatio esse in similitudine naturae ex vi ipsius actionis, nam productio vermis, quae fit per accidens ex putredine, vel superfluitatibus alterius viuentis, non est propria generatio, de qua hic loquimur, neque naturalitas, quae ut talis sit, vniuoca esse debet, atque in eadem natura saltem specifica, quod si fuerit in eadem natura numerica, multo erit perfectior, sed talis generatio soli Deo conuenire poterit, atque ita manet probata conclusio.

Dico secundo. Huiusmodi actio non dicitur propria viuientium, quod conueniat omnibus, sed eius solis. Haec est Aristotelis lib. 2. de anima, ac patet, quia non omnia virtutem generatiuam habent ut dicitur c. 10. Dico tertio. Generatio sui similis est naturalissimum opus viuientium. Haec ponitur ab Aristotele, sed quo sensu, vel qua ratione illam alitruat, minime constat. Quidam interpretantur naturalissimum non comparatiue, sed quasi dictum sit valde naturale, seu ad quod plurimum natura inclinatur. Ita Apollinaris illo loco text. 35. Quae expositio fortasse vera est, sed quia clara a multis rejicitur. Alij ergo omnes putant comparationem fieri ad alia opera viuientium, sed quidam volunt fieri inter sola opera vegetatiuae partis, inter quae generatio naturalissimum opus dicitur, quia est perfectissimum, cum sit productio substantiae totalis, ac requirens generans in statu perfecto, nutritio vero sit partialis aggeneratio, atque a viuente etiam imperfecto. ordinatur item ad conseruationem indiuidui, quod est bonum particulare: generatio vero ad conseruationem speciei, quod est bonum commune, atque adeo excellentius, 1. Ethic. c. 2. Addunt praeterea, quod generatio finis sit nutritionis, & augmenti, nutritur enim animal, & augetur, ut ad perfectam quantitatem producat, perfecta quoque operationes exerceat, inter quas prima est, sui similis generatio. 4. Meteor. c. 3. & 2. de anim. text. 49. scribit Aristoteles generationem esse finem animae vegetabilis, quod verum

H 3

appa-

De definitio-
ne genera-
tionis presse
sumpta la-
tius auctor
l. 9 de Trin.
c. 1 a. n. 4.

1. assertio
sumpta ex
Aristotele.

Tertia asser-
tio ex eod. s.
Primus sen-
sus absolutus
circa proxi-
mam asser-
tionem.

Secundus
sensus com-
paratiuus.
Quo pacto
aliqui dictam
comparatio-
nem intelli-
gant.